

Petrus de Vinea

*Ep. V 113 (Tseditti syndici
uniuersitatis hominum de Caprara...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 113 (Tseditti syndici
uniuersitatis hominum de Caprara...)*

1243

Quod nobiles et alii potentes conferant in datiis et collectis cum uniuersitate.

1. Tseditti syndici uniuersitatis hominum de Caprara, Imperii fidelium, accepimus de nouo querelam, quod, cum homines ipsi pluribus et uariis imperialibus seruitiis sint, ultra quam eorum facultas suppetat, pregrauati, quidam eiusdem uniuersitatis tam nobiles quam alii, qui se «ciues nouos» appellant, sub nobilitatis et citadinantiae pretextu conferre cum eis in datiis et collectis predictis, imperialibus seruitiis exequendis, iuxta quantitatem facultatis ipsorum recusant, in ipsius uniuersitatis preiudicium et non modicam lesionem. 2. Cumque syndicus memoratus pro parte uniuersitatis eiusdem eis super premissis postulauerit prouideri, uobis precipiendo mandamus, quatenus, si uobis constiterit ita esse, prefatos nobiles, nisi priuilegio speciali, eis ab imperiali auctoritate concesso, sint exempti, et memoratos, qui se «ciues nouos» appellant, nisi sint ex ueteribus ciuibus, qui per pactum inter curiam et Commune Senense initum defenduntur, tempore primae potestariae domini N. Guidonis, Potestatis Senensis, pro quantitate facultatum suarum, pro hiis scilicet, quae tenent in eiusdem terrae territorio, ad communicandum cum uniuersitate prefata in datiis et collectis cohertione, qua conuenit, compellatis.